

Heinrich Rahn Henning Bassevitz von


## **Disputatio Iuridica De Rerum Divisione, Et Acquirendo Earum Dominio**

Rostochii: Kilius, 1641

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766233669>

Druck Freier  Zugang






Ja - 1143 1-58.

216.7

Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock

42.18



19  
DISPUTATIO JURIDICA  
De  
RERUM DIVISIONE,  
ET ACQVIRENDO  
EARUM DOMINIO,

Quam,

Deo ter Opt. Max. adjuvante,

*Consensu Amplissimi Fctorum Ordinis in celeberrima Rostochiensis Academia,*

SUB PRÆSIDIO

*Viri Clarissimi, ac Consultissimi*

Dn. HENRICI Rahnen/ J. U. D.

ac Professoris, Præceptoris, & Fautoris sui honorandi, colendi,

*publicè defendendam suscipiet*

Henning von Bassewitz/ Nobil. Meklenb.  
A. & Respondens.

*In Auditorio Majori d. 22. Maij,*

horis à 7. matutinis


ROSTOCHII,

*Literis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.*

*Anno M. DC. XLI.*

DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
RERUM DIVISIONE  
NE ET ACQUIRENDIS  
EARTH DOMINIIS

Doctor Opl. Max. adjuvans,  
Cognit. etiam in Jurispr. Civili et Nat.  
perit. Rostock. & alibi.



Dr. HENRICH  
Prof. Juris  
in Rostock  
A. 1700  
in Rostock  
A. 1700

ROSTOCK  
ANNO 1700

## T H E S I S I.



Mnes res, quæcunq; in hac uni-  
versa mundi machina continentur, dici possunt  
Objectum Jurisprudentiæ adæquatam, quate-  
nus cives jus aliquod in ijs habent, & quatenus  
circa eas versatur justii injustiq; scientia *arg. §. 1.*  
*Inst. de just. & jur. & l. 10. §. 2. ff. Eod.*

2. Strictius autem sumit Imp. vocabulum Rei in §. *fin. Inst. de*  
*J. N. Gen. & Civ.* Nempe ut denotet cætera tantum præter personas,  
& actiones.

3. Res variè in juro nostro dividuntur: Summatim autem I. in  
*Corporales & Incorporales* Illæ sunt, quæ sui natura tangi pos-  
sunt. Hæ, quæ non, & in jure consistunt, quales obligatio hæ-  
reditas, servitus *l. 1. Inst. de reb. corpor. & inc. II. in Mobiles* seu se mo-  
ventes, & *Immobiles* s. soli *princ. Inst. de inutil. stipul. l. 15. ff. de §. 2. re*  
*judic. l. 93. de V. S.* Illarum iterum sunt aliæ Animatæ, quæ proprie mo-  
ventes, aliæ Inanimatæ *l. 1. §. 1. D. de rei vind. III. in eas, quæ sunt*  
*in Patrimonio nostro, & extra Patrimonium nostrum.*

Quæ extra Patrimonium, in duplici sunt differentia, vel *Juris di-*  
*vinæ, vel humanæ.* Quæ in Patrimonio, uniformes, nempe Juris  
humani singulorum.

4. Res *Juris divini* (quæ κατ' ἐξοχήν Nullius dicuntur, *l. 2.*  
*ff. §. 7. Inst. hic.* quod ita sunt nullius, ut difficile vel nunquam ali-  
cujus fieri possunt) sunt Triplicis generis 1. *Sacræ* 2. *Religiosæ* 3.  
*Sanctæ.* Nam & hæ quodammodo divini juris esse dicuntur à  
Gaico *int. 1. pr. h. t.*

5. Res *Sacræ* sunt, quæ autoritate publicâ summi magistratus  
ritè per Pontifices & Antistites Deo consecratæ sunt *§. 8. I. h. t. l. 9.*  
*ff. h. t.* Hæ autem sunt vel primariè tales, quæ immediatè cultui di-  
vino subserviunt, ut templa, altaria: vel secundariè, & sunt, quæ  
mediatè in honorem Dei conducunt, ut bona quæ procurandis ædi-  
um sacrarum commodis, & sustentandis Ecclesiæ ministris orpha-  
notrophijs, &c. *l. 22. C. de 8. S. Eccles. deserviunt.*



6. Res *Sacra* alienari, & obligari non possunt, exceptis causis tribus 1. Pietatis, ob redemptionem captivorum, & sustentatione in pauperum tempore famis *l. 21. C. de S. S. Eccl. 2. Necessitatis, ob disolvendum Ecclesiæ debitum autb Præterea. C. cod. Nov. 120. c. 10.*  
3. Utilitatis, ut conditio Ecclesiæ inde melior fiat, ita in emphyteusin dari possunt *d. Novell. c. 6*

7. Ratio non faciliè concedendæ alienationis est: Quod semel Deo dicatum est, in profanos usus non debet converti *c. semel. de Reg. Jur. in 6.*

8. Res *Religiosa* sunt, quæ privatâ alicujus voluntate & facto religioni, i. e. sepulturæ hominum dicantur, ut cum quis mortuum infert in locum suum *§. 9. h. t. l. 6. ff. eod.*

9. In locum alienum nemo potest inferre mortuum invito dominol. 2. §. 1. & ff. de relig. & sumpt. sed qui infert, tenetur domino per in factum actionem præstare pretium loci, vel tollere, quod intulit. *d. l. 2. §. 1. l. 7. pr. de vel. & sump. fun.* attamen domino loci non licet effodere mortuum & abjicere propriâ autoritate, alioquin injuriarum tenetur *l. 8. d. t.*

10. Res *Sanctæ* sunt, quæ sanctione aliquâ ab hominum injuria defensæ & munitæ sunt, nec propriè sacræ, nec profanæ *l. 8. l. 9. §. 3. h. t.* Tales sunt leges, legati *d. l. 9. §. 3. h. t. l. ult. ff. de legation.* magistratus, teste Festo in verb. sacros, muri & portæ civitatis *§. 10. Inst. hic. l. 9. D. eod. l. 2. Ne quid in loc. sac. & castrorum l. 3. §. 17. de re milit.*

11. Capite punitur, qui muros transcenderit, vel aliàs violaverit *§. 10. Inst. h. t.* præsertim urbis Romæ *l. 11. ff. eod.* & hodie sedis Imperatoris Viennæ, etiam aliarum civitatum Imperialium, ubi vel Camera Imp. habetur, vel ornamenta, secreta, & privilegia Imperij adservantur. In alterius verò civitatis murorum violatoribus hæc communior & receptior & Dd. opinio, ut extra ordinem pœnâ arbitrariâ puniantur, nî vel tempus belli, vel animus hostilis, & delictum atrox ordinariam suadeat. *Jul. clarus lib. 5. §. fin. quaest. 68. num. 29. Bronchorst. cent. 1. miscell. 6.*

12. Quæ Extra Patrimonium Juris Humani sunt, sunt vel Communia omnium (etiam Nullius *§. 5. h. t.* sequiori istius vocula acceptione) vel Publica, vel Universitatis.

13. *Communes* res sunt (quæ etiam Publicæ dicuntur, ut *§. 5. Inst.*

19

*Inst. b. t. l. 14. de acq. rer. dom. l. 45 de usucap.*) quarum usus jure naturæ omnibus communis est, atq; ita communis, ut utendo quis etiam proprietatem earum acquirere possit *Wesemb. n. 4 h. t.* tales sunt aër, aqua profluens, mare, litora maris, insula in mari nata, gemmæ, lapilli, & alia, quæ in mari & littore reperiuntur; item, aves, pisces, feræ §. 1. §. 22. §. 12. *Inst. b. t. l. 3. ff. eod.*

14. Liberiori autem huic usui in multis à principib. terrarum & Rebus pub. usu longissimo, cujus initij non exstat memoria, plurimum detractum est. Hi enim maris se dominos appellant, vectigalia navigantibus imponunt, in mari dividi fines constituunt: qualiter Respubl. Veneta jurisdictionem & dominiû in mari Adriatico hujusmodi præscriptione consequuta est. Hinc jus in litoribus succinum, coralla, margaritas legendi non cuilibet apertum est, sed ad Principes spectat, & ab his concedi solet, ut in Borussia, Sicilia, Ormutz, India firi experientiâ testatur. Idq; non saltem nostro seculo obtinet, sed & olim populus Rom. in litora imperiû habuit *l. 3. Ne quid in loc. pub. jun. l. 14. pr. de acq. rer. dom.*

15. In mari, litore, (etiam flumine *l. 24. ff. de damn. infect.*) cuiquam aliquid exstruere licet, modo permissu & decreto magistratus fiat *l. 50. de acquir. rer. dom.* & usus communis non deterior reddatur *l. 3. Ne quid in loc. publi.* neminiq; inde noceatur *l. 2. §. 8. Eod.* Piscari etiam licet ubiq; in mari de jure, sed, ut aliquis ante ædes alterius prohiberi possit, usitatum est, tamen nullo jure, inquit Ulp. *in l. 13. §. 7. de injur.*

16. *Publicæ* res in specie sit dictæ, quarum usus publicus & omnibus patensest, proprietas autem in patrimonio, dominiove vel imperij aut populi universi alicujus regionis *l. 14. de acq. rer. dom. l. 2 §. 5. Ne quid in loc. pub.* unde eas dictas ajunt, quasi populicas. *Wesemb & Sneider Inst. hic.* Tales sunt flumina navigabilia, portus, *l. 4. §. 1. l. 5. ff. eod.* Viæ etiam regię *arg. l. 2. de via publ. l. 2. §. 22. ne quid in loc. publ. l. 51. §. de contr. empt.* Vel privatorum, ut ripæ *§. 4. Inst. hoc tit. l. 30. §. 1. de acq. rer. dom.* Habent itaq; jus piscandi, navigandiq; in flumine omnes, licet proprietatem ejus non habeant. *l. unic. ut in flum. publ.*

17. Sed Magnates hodiè ad Regalia sua flumina referunt *6. an. quæ sint regal. Feud. 2.* vectigalia ijs imponunt, navigationem prohibent, vel ex causa coarctant. Unde in eorum patrimonio ratione jurisdictionis, tuitionis, & proprietatis quodammodo esse censentur *Lindem.*

18. *Universitatis* Res sunt quæ non ad omnes homines, neq; uni-

versum populum regionis, sed aliquam civitatem, seu collegium perti-  
nent, ut theatra, stadia, fora &c. Horum quaedam sunt, quorum usus o-  
mnium & singulorum, qui sub ea universitate continentur, proprietas  
verò universorum §. 5. *Inst. h. t. l. 6. §. 1. ff. eod.* ita ut in his singuli id juris  
habeant, quod in publicis universi homines.

19. Quaedam, quibus non singuli in illa universitate utuntur, sed  
quæ in usus necessarios, ac Reip. fiscum rediguntur, & sunt in Reip. do-  
minio. l. 2. §. 4. *ne quid in loc. publ.* veluti reditus publici.

20. Res quæ in Patrimonio nostro sunt, sunt uniformes, tum ratio-  
ne juris, sunt enim juris humani solummodo; tum proprietatis, sunt  
enim singulorum solum, & singulis eorum dominium acquiritur §. 11.  
*Inst. h. t.*

21. Dominium est jus in re utendi fruendi suo arbitratu, imò etiam  
abutendi, alienandi, ac vindicandi, quatenus Jure permissum. Causa  
ejus Efficiens est Jus Naturale, & Civile. Materia, omnes res quæ in com-  
mercium cadunt. Forma, ipse modus habendæ, perfruendæq; rei. Finis,  
ut quis re eâ tutò uti frui possit. Effectus, ut Dominus rei habeat liberam  
utendi fruendi facultatem, imò etiam abutendi, quatenus jura permit-  
tunt l. 21. *C. mand. l. 2. de his, qui sunt sui.* Deinde ut habeat amissâ pos-  
sessione vindicationem l. 23. *de rei vind.*

22. *Modi acquirendi* dominij sunt Duo: vel enim fluunt ex *Jure*  
*Naturali* seu Gentium, vel *Civili*, §. 11. *Inst. h. t. l. 1. de acq. rer. dom.* Nos,  
his relictis, de illis saltem in præsentia acturi sumus.

23. Modi autem acquirendi Dominij naturales dispesci possunt in  
*Apprehensionem*, & *Accessionem*,

24. *Apprehensionis* principalis & prima species est *Occupatio*, quæ  
est apprehensio rei justa, sola apprehendentis voluntate constans.

25. Estq; earum rerum, quæ vel alicujus sunt, vel nullius. Et hæc ite-  
rum tales sunt, vel naturâ vel factò, vel tempore. Circa res quæ naturâ  
nullius sunt, versatur primò *Occupatio ferarum animalium*, diciturq;  
in specie venatio. Feræ n. bestia, & volucres, simul ac ab aliquo captæ  
sunt, statim ejus esse incipiunt: nec interest, utrû quis in suo, an in alieno;  
in privato, an in publico capiat (quippe quæ non sunt fundi l. 6. ff. de act.  
*empt*) Prohiberi tamen aliquis potest à domino fundi, ne ingrediatur, l.  
3. §. 1. *h. t.* Et si quis contra prohibitionem ingressus fuerit, nihilominus  
quod

quod cepit, suum efficit, *Gen. 1. vers. 28. §. 12. f. h. t. l. i. §. 1. l. 3. §. 1. de acquir. rer. dom.* sed domino fundi tenetur injuriarum *l. 13. ff. de injur.*

26. In illis autem quæ *ὄνητοργο Φέαις*, vivarijs (prisca lingua Roborarijs) inclusa sunt, secus erit, quippe quæ non naturali suâ laxitate jam gaudeant, imò etiam possideantur, & in fructu sint *l. 3. §. 14. ff. de acquir. posses. l. 62. §. 1. de usufruct. l. 9. §. 5. eod.*

27. In Piscibus ob eandem rationem idem obtinet de jure Romano, ut quod quis eorum in mari, fluvio, imò & lacu alieno *d. l. 3. §. 14. de acquir. posses.* ceperit, statim suum efficiat, non autem in piscinis *per d. §. 14. l. 3.* Sed mores & hic jus subegere, ut videre est *ex l. 13. in fin. ff. de injur.*

28. Hodie autem & retrò aliquot secula Principes & domini territoriorum jura venationum liberrima vehementer attenuavere, & ad se attraxere, in publicis fundis per omnia, privatis etiam aliquibus, sequuti hac in re Fridericum I. Imperatorem, qui primus publico edicto id fecit *6. Si quis rusticus. De pace tenend.* Quod quidem factum admodum, videtur injurium in Jus Naturale, Gentium, & Civile, imò ipsum Jus Divinum, concedens omnibus Evigenis æquum in feras imperium *Gen. 1. v. 6. & seqq.* Sed subsequenter innitur rationibus.

29. Primò, & maximè quoad loca publica. Uti jura omnia publica, ita & loca publica recepto quodam superioritatis jure, ad se & suum quasi patrimonium transtulere Principes *l. 3. ff. Ne quid in loc. publ. l. 9. ff. ad l. Rhod. de jact.* Jam autem Privato licet venantem aliquem ingressu fundi sui dominij prohibere per *supr. alleg. jura.* Quidni etiam Principi postea patientiâ suâ subditi id approbavere quasi, unde Principes Jura ista sibi præscribere per tempus immemorabile, adeò ut jam subditi facultatem de injuria quirirandi non habeant, uti per *vulgata de jure Præscriptionem* notant.

30. In Privatis locis sibi id jus ex eodem fundamento arrogavere, ac hodiernum arrogant, ut non tantum plebejis capturâ ferarum, sed etiam Nobilib. quibusdam in locis, illis quidem omnium, his tantum majorum ferarum, *des hohen Bewildes/ so wol rothen als schwarzen* interdicerent. Quod etsi eodem modo maximè injurium, tamen eum privati fundorum domini in hac prohibitionè acquieverint, vel solâ jam præscriptione ab ejusmodi jure in fundis etiam proprijs excludantur, nec habeant quod se jure dominis territoriorum opponant, vel de injuriâ ac violentiâ quiritentur. Et hæc ratio palmaria.

31. Secun-

31. Secundariæ sunt hæc 1. Cura servandarum Specierum in animalibus feris, quæ faciliè ob paucitatem extirparentur, si cuiq; ea interimere integrum esset. 2. Studium agriculturæ exercendæ, à qua faciliè venationis dulcedine abstraheretur rustica gens, adversus quam primariò prohibitio directæ d. *§. si quis rusticus*. 3. Interdictus armorum usus ob justas causas, *l. unic. C. ut usus armor. Nov. 85.* præsertim rusticis d. *§. absque* quibus venatio commodè ferè expediri non potest. 4. Amor pacis & tranquillitatis privatæ. Contentionibus enim imò cædibus communis quandoque venatio est fomes ac materia.

32. Qui scientes interdictis venationibus se non abstinuerint, puniendi quidem, quum contemptus Magistratus præsumatur, & res à feris ad Magistratum deferatur, cui ex præcepto Dei non temerè renitendum *Rom. 13.* sed non poenâ capitis, aut potius arbitrariâ Quod si sæpius ex contumaciâ destinato animi proposito tales venationes iteraverint, severius, vel etiâ capitali supplicio in eos adnadverti potest, contemptum enim magistratus se verissimè semper vindicatum esse, tam sacri quam profani attestantur Codices.

33. Diras ac perniciosas feras venari cuilibet concessum, quum publicè expediat, eas extirpari funditus, ut Leones, Lupos, ursos, *l. unic. C. De venat. fer. d. §. Si quis rusticus. de pac. tenend.*

34. Hæc autem prima Occupationis species, non tantum est ferorum animalium, sed etiam semiferorum. Sunt autem semifera animalia, quæ naturâ quidem fera, sed humanâ industrâ cicurata, & mansuetata abeunt, & redeunt, ut Apes, Pavones, Columbæ *§. 14. & 15. b. t.*

35. Apes, sive in arbore propriâ confederint, sive alienâ, fiunt occupantis, cum non sunt ab aliquo alveo inclusæ: quando includuntur, fiunt includentis, & manent, quamdiu evolant, & revolant *d. §. 14. b. t. l. §. 2. & c. acquir. rer. dom. l. 3. §. 16. ff. de acquir. possess. & tum fit furtum earum l. 8. §. 1. Famil. hercisund.*

36. Cæterùm in his semiferis talis comprobata est regula: ut eousque alicujus esse intelligantur, donec animum revertendi habent, fiunt autem occupantis, quando eum deposuerunt *§. 15. J. b. t. l. §. 2. eod. quod, quando jam factum sit, certo tempore non præsumendum, sed relinquendum Judicis arbitrio, qui æstimet ex circumstantijs arg. l. 1. §. ult. ff. de jur. delib.*

37. Qui itaque Columbas & id genus animalia per inescationem inter-

19

intercipit, vel ex insidijs capit, aut dum pastum quærunt, occidit, non solum dominus non fit, sed etiam furti tenetur l. 37. §. Si pavonem. ff. de furt. l. 8. s. Pomponius. Fam. hercisc.

38. In domesticis animalibus, gallinis, anseribus, &c. Occupatio locum non habet, idèd in ijs hoc obrinet, ut quocunq; loco sint, licet conspectum Domini effugerint, tamen ejus esse intelligantur, & qui lucrandi animo talia animalia detinet, furtum committat, & actio furti detur §. 16. J. h. t. l. 5. §. gallina. ff. h. t. l. 37. ff. de furt. licet res sit minima, arg. l. 1. §. 10. ff. de conjung. cum emanc. liber. l. 22. fin. pr. ff. de damn. infect. Novell 96. c. 1.

39. Deinde Occupatio rerum, quæ nullius sunt naturâ, est *rerum in litore inventarum*, & dicitur inventio; qualis est lapillorum, gemmarum &c. Hæ enim cum nullius sint, jure naturali occupantis, aut inventoris statim fiunt § 18. J. h. t. l. 3. ff. de rer. divis. Sed huic libertati etiam multum detractum est, vid. ib. 14.

40. Bona naufraga, vel servandæ navis ergò ejecta, à nullo nec à fisco occupanda sunt l. 1. C. de naufrag. non sunt enim nullius, sed manent dominorum §. ult. J. h. t.

41. Alterum occupationis in secundo distinctionis membro supr. th. 25. objectum erant res, quæ factò nullius sunt, seu quæ quidem alicujus fuerunt, sed factò quodam ejus esse desierunt. Hic occurrit Occupatio *Rei pro derelicto habitæ*. §. 46. Inst. h. t. quæ etiam dicitur *Inventio*.

42. Res pro derelicto habitæ est, quam quis eâ mente abjecit, ut in numero rerum suarum eam esse nolit, ideoq; statim ejus dominus esse definit: contrà quicunq; occupaverit, statim naturaliratione ejus dominus efficitur, si derelinquens verus fuerit dominus, sin minus & saltim possessor, usufrucipit §. 47. h. t. l. 1. l. 2. l. ff. pro derelict. l. 43. §. 5. ff. de furtis.

43. Quæ autem aliquis non eo animo abijcit, ut ea inter res suas habere nolit, sed alia de causa, ut in tempestate levandæ navis ergò, vel quæ alicui non intelligenti excidunt, harum dominus non esse definit, neq; occupatio locum habet. Qui itaq; talia lucrandi animo abstulerit, furtum committit §. 47. h. t. Inst. l. 9. §. ult. de acquir. r. dom. l. 8. ad L. Rod. de jactu. d. l. 43. §. 11. de fur. Authen. Navigia C. de furtis.

44. Rem ejusmodi inventam domino restituere debet, vel si hunc ignoraverit, publicè significare, se hoc, vel illud invenisse, & redditurum qui se dominum probaverit, secus si fecerit, furti tenetur d. l. 43 §. 8. *evge* tamen seu præmia inventionis accipere potest, etsi non probè petat d. l. 43. §. 9. ff. de fur.

B

45. Ter-

45. Tertia th. 25. in altero membro erat Occupationis objectum, *res, quæ tempore nullius est*, qualis est thesaurus. Theaurus hoc loco est vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non exstat memoria, ut jam dominum non habeat *l. 31. §. 1. ff. de acquir. r. dom. l. un. C. de thesaur.*

46. Ad ejus acquisitionem quod attinet, distinguendum, (secus quam in præcedenti Occupationis specie) tum inter loca, tum inter modos inventionis.

47. Quem quis Theaurum in suo loco invenerit, is naturali æquitate ejus fit, sive datâ operâ, sive fortuito invenerit *§. 39. h. t. d. l. 31. §. 1. l. un. C. d. thesaur.* quod primò quidem Hadrianus Imp. deinde etiam Leo *d. l. unic.* constituit, cum antea etiam hæc naturalis libertas fuisset vim passa, & talis etiam thesaurus applicaretur fisco, nisi quis facultatem retinendi à principe impetrasset, ut colligere est ex *d. l. un.* Idem etiam is statuit, si quis in loco sacro, aut religioso fortuito casu invenerit *d. §. 39. Inst. h. t.* Quod tamen postea mutatum esse ostendit *l. 3. §. 10. de jur. Fisci. C. 6. un. Quæ sint regal. 2. Feud. 56. in fin.* Quærere autem non licet, tunc enim nihil consequitur, sed ad fiscum deferitur *d. c. quæ sint reg. feud. 2. dict. §. 39. Inst. h. t.*

48. Ejus verò thesauri, quem quis in loco alieno, vel privati, vel Principis, fisci, civitatis invenerit, partem dimidiam accipit, dimidiam dominus soli acquirit, si non datâ operâ, sed fortuito invenerit, sin v. scrutatus fuerit, totum dominus consequitur *d. §. 39. d. l. un. C. d. th. d. c. quæ sint reg.*

49. Modi inventionis sunt, an quis fortuito an datâ operâ invenit. Per modum illicitum, utpote per scelerata & puniendâ sacrificia (ut loquitur Imp. in *d. l. un.*) vel magicas artes inventus thesaurus, sive in suo sive in alieno, non fit invenientis, sed totus fisco cedit. *d. l.*

50. Jam ad primum distinctionis membrum supra propositum recurrimus. Et dicimus Occupationem etiam esse eorum, quæ jam, dum cum occupamus, sunt alicujus, ut quæ ab hostibus capimus. Quæ itaque singuli ex hostibus capiunt, ea statim l. Gent. capientis fiunt *§. 17. Inst. h. t.* Quæ autem universus exercitus capit, si sunt immobilia, oppida, arces, agri publicantur, seu Domino belli cedunt *l. 20. §. 1. de capt. & postlim. rev.*

51. Non solum autem res, sed & personæ hostium in potestatem capientis deducuntur, adeò ut ejus servi fiant. *d. §. 17. C. l. 7. ff. d. acquir. rer. dom.* ut Christiani capti à Turcis: aliàs non obtinet hodiè,

52. Secundus acquirendi dominij modus naturalis juris, est *ACCES-*

*SIO*

19  
§10. Definitur autē Accessio, quod sit modus, quo res alterius mea fit, eò quod meæ accedat ita, ut vel ei cohæreat tanquam pars, vel saltem ab ea ita trahatur, ut in ejusdem cum ea dominium transeat. Estq; vel Naturalis vel Artificialis: quæ habent iterum suas species.

53. Accessionis Naturalis species I. est *Fœtura animalium*. Quæ enim ex animalibus dominio nostro subjectis nata sunt, jure naturali nobis acquiruntur §.19. h. t. l. 2. l. 6. ff. de acquir. r. dom. etiam partus ancillarū §. ult. Inst. de Jur. per.

54. Altera est *Adlucio*, quicquid enim per eam flumen alicujus agro paulatim, ut intelligi non possit, adijcit, ei statim acquiritur §. 20. h. t. l. 7. §. 1. ff. de acquir. rer. dom. Si modo ager non fuerit limitatus. In eo enim locum non habet alluvio l. 16. ff. eod. Si vis fluminis modo sensibili partem aliquam prædio alicujus detrahat, & vicini adferat, prioris domini manet d. §. 20. ver. Quod si. Tum autem videtur acquisita vicini fundo, si tanto tempore ei adhæserit, ut arbores, quas secum traxit, in eum fundum radices egerint, nec dominus supinâ quadam negligentia eam vindicavit l. 2. h. t. l. 7. §. 1. eod. l. 9. §. 2. de dam. infect. Quæ species dici solet *coalitio*.

55. Huc pertinet *Insula*. Quæ si in mari nata sit, sit occupantis: si vero in flumine, eoque medio, communis est eorum, qui ab utraq; parte prope ripam prædia possident. Quod tamen obtinet, si agri non fuerint limitati. l. 1. §. 60. & 7. de flum. §. 22. Inst. h. t. Si flumen ex ipso agro fecit insulam, ejus, cujus ager fuit, manet. §. 22. in fin. h. t. Quid juris sit, si flumen alveum dereliquerit (quæ nova species & destitutio alvei dici potest.) vid. in l. 7. §. 1. ff. acquir. rer. dom. jun. §. 23. Inst. h. t. Si ager aliquis saltim inundatus fuerit, manet, cujus fuerat §. 23. in fin. Inst. h. t. l. 7.

56. Artificialis, seu Industrialis Accessionis species prima est *Textura*. Nam quicquid alienæ materiæ intexitur vestimento alicujus, sit ejus, cujus est vestimentum, cui intexitur, etsi sit pretiosius, ut purpura §. 26. Inst. h. t. l. 23. ff. de rei vind. Quæ tamen condici à fure condictione furtivâ, ab aliis possessoribus condictione sine causa potest d. §. l. 3. ff. condit. fin. caus.

57. Altera species est *Inædificatio*, quâ domus ex aliena materia in proprio fundo, vel ex propria materia in alieno fundo ædificata, domino soli acquiritur. In priori casu dominus materiæ non omninò desinit esse dominus. Stante tamen ædificio, neq; eam vindicare, neq; ad exhibendū de ea agere potest; diruto potest §. 29. h. t. l. 7. §. 10. d. acq. rer. dom. l. 23. §. 6. d. R. V. l. 1 ff. de rig. jun. nisi duplum jam sit consecutus §. 29. in fin. Inst. h. t. vid. seq. th.



58. Verùm in suo ex aliena materia ædificans facit hoc sciens seu malâ fide, aut ignorans seu bonâ fide. Contra utrumq; conceditur Domino materiæ stante ædificio ex l. 12. tab. actio de tigno juncto in duplum *arg. l. 23. §. pen. de R. Vind. l. 63. de don. int. vir & ux. §. 29. Inst. h. t.* In priori, nempe malâ fide ædificante purè pænalis est ea actio; in posteriore mixta *l. 1. §. fin. de tig. jun.* Ubi & cessat hæc dupli actio, si sciente domino materia illius alienis ædibus juncta sit.

59. Præter eam autem dupli actionem mala fide ædificans tenetur quoq; furti, & ad exhibendum *d. l. 23. §. pen. de Rei vind. d. l. 1. in fin. tig. jun.*

60. In posteriori casu, ubi scilicet quis in alieno solo ex materia propria ædificat, materiæ proprietatem amittit, si non ignorabat se in alieno ædificare, nec stricto jure eam vindicat dirutâ domo *§. 30. Inst. h. t.* nisi probet se non donandi animo ædificasse. *l. 2. C. d. R. Vind.*

61. Bonâ fide autem ædificans, & possidens sumptus utiles & necessarios à domino soli, petenti domû, consequi potest per doli exceptionem *§. 30. Inst. hic. l. 27. §. fin. l. 48. de rei vind.* Malâ fide verò faciens rigore juris nihil consequitur. *§. 30. in fin. Inst. hic. l. 7. §. 12. de acq. rer. dom. l. 27. §. ult. de rei vind.* benignius tamen in hujus quoq; persona ratio habetur expensarum *l. 38. d. petit. hered. l. 37. de rei vind. l. 5. C. eod.*

62. Tertia species *Implantatio*. Si enim quis plantam alienam in suo solo ponat, ejus erit, & è diverso, si quis plantam suam in alieno solo ponat, alter ille dominus efficitur, dummodo radices egerit *§. 32. b. t. l. 7. §. 13. d. acquir. r. d.* nam antequam coaluit manet prioris domini, & ab eo directâ vindicatione peti potest, postquam coaluit utili tantum æstimatio exigi *l. 5. §. 3. de R. V. arg. l. 9. §. 2. d. damn. inf. l. 26. §. 2. b. t.*

63. In dijudicanda a. proprietate arboris adeò radices sunt inspiciendæ, ut si arbor in Titij solo orta in Mavij solum radices agat, vel omnes vel principales, unde ferè alatur, Mavij efficiatur dominus: secus, si aliquas, vel saltim extremas. Si in confinio posita utrinq; radices egerit, communis fit *l. 6. §. 2. d. arb. furria. cas. l. ult. ff. quod vil.*

64. Fructus ex arboribus nostris in vicini fundum cadentes nostri manent, eosq; vel tertiâ quoq; die legere jus est *l. un. D. de gland. leg. l. 9. §. 1. ad exhib.* Jure v. Saxonico ejus sunt, in cujus fundum ceciderunt, *Sohn.*

65. Quarta est *Satio*, eodem enim modo, ut per plantationem, quicquid alieno solo inferitur, domino soli cedit: per exceptionem tamen doli mali in pensas bonâ fide factas accipit is, qui consevit *§. 32. b. t. l. 9. pr.*

*ff. de*

*ff. d. acq. r. d. l. 25. d. Usur.* Ei, qui malâ fide fecit, licet non strictâ juris ratione, tamen *innoxia* succurri poterit *arg. l. 38. ff. de petit. hered.*

66. Quinta est *Scriptura* qua literæ etiam aureæ, cærumen, vel historia scripta in alienis chartis, vel membranis, domino earum cedunt: scriptor tamen sibi impensas retinet *§. 32. h. t. l. 9. §. 2. eod. l. 3. §. penult. ad exhib.*

67. Pleriq; tamen, cum scriptura multo pluris aestimetur, quam charta, statuunt, hodie scripturæ chartam cedere, cum *gl. in l. Qua ratione. 9. §. sed non 2. verb. rectam de acq. rer. dom. vid. Schneid. ad §. si quis, in aliena. 34. n. 3. Inst. h. t. C. Myns. ad §. literæ. 33. ibid.*

68. Sexta est *Pictura* Hæc modo contrario per excellentiam dominium tabulæ ad se trahit, *§. 34. Inst. h. t. l. 9. §. 2. eod.* Veteres hac de re Jctorum dissenserunt, *vid. l. 9. §. 2. de ac. re do. C. l. 23. §. sed id. 3. de Rei vind.*

69. Pictor autem pretium tabulæ exsolvat, quod si non fecerit, poterit per exceptionem doli mali repelli, & dominus per utilem actionem tabulam vindicare, solutis tamen picturæ impensis, *§. 35. h. t. l. 9. §. 2. de acq. rer. dom. d. l. 23. §. 3. de rei vind.*

70. Septima est *Perceptio fructuum* i. Bonæ fidei possessoris ex fundo alieno. Itaq; bonæ fidei possessor omnes fructus tam naturales, quam industriales perceptos, & consumtos suos facit, non extantes *§. 35. h. t. l. 48. ff. h. t. l. 25. §. 1. ff. de Usur. l. 22. C. de rei vind.* idq; antè fundum vindicatum à domino superveniente, & litis contestationem *l. 4. §. 2. fin. reg. l. 4. §. 19. de Usucap. l. 48. ibi in pr. de acq. rer. dom.*

71. Post verò litem contestatam, cum malæ fidei possessor esse incipiat, *l. 25. §. 7. l. 40. de pet. her.* nullos facit suos, sed omnes domino vindicanti restituere cogitur, tam naturales, quam industriales, & civiles; tam pendentes, quam perceptos; tam extantes, quam consumtos, etiam percipiendos. *d. l. 4. §. 2. fin. regund. §. 2. in fin. Inst. de offic. Jud.* si modo res evincatur, & condemnetur possessor.

72. Malæ fidei possessor ad omnes tenetur, tam ante, quam post litis contestationem *d. §. 35. l. 22. C. de Rei Vind.* tam perceptos, quam percipiendos *l. 1. C. de fide. bast. fiscal. l. 62. §. 2. d. R. V. ff. l. 1. C. de rei vind. l. 4. C. unde vi.*

73. 2. *Usufructuarij.* Is enim eorum fructuum tantum dominus efficitur, quos ipse percepit, moriens itaq; maturis fructibus adhuc stantibus, non transmittit eos ad hæredes, sed proprietarium *§. 36. h. t. l. 12. §.*

*Julianus ff. de Usufr.* Si messe jam factâ & fructibus jacentibus, licet non collectis, decesserit, transmittit *l. 13. ff. quibus mod. us. amitt.*

74. 3. Coloni, qui vel parte fructuum colit, & dicitur partarius *l. 25. §. 6. in fin. ff. loc.* vel nummis colit. Uterq; in percipiendi modo confertur cū usufructuario, ita ut, nisi ipse vel per se vel per aliū perceperit, de quo in *preced. thes.* non suos faciat fructus *§. 36. ibi. eadem ferè de colono dicuntur. Inst. h. t. jun. l. 60. §. 5. locat.* In eo verò differt, quod fructus pendentes, & nondum à solo separatos transmittat ad hæredes qui in locatione succedunt *§. fin. Inst. locat. l. 9. C. Eod.*

75. Octava est *Ferruminatio*, quæ est, quando quid per eandem materiam conglutinatur, ut ferrum per ferrum, argentum per argentum. Distinguitur ab ea *Plumbatura*, quæ est, quando per materiam plumbi, vel stanni aliquid conglutinatur; ut quando lapidi lapis per plumbum, vel æs æri per stannum jungitur *l. 23. §. 5. d. R. Vind.*

76. Acquiritur autem dominium per ferruminationem ita, ut, si quid per eam rei majori jungitur, id domino rei istius accedat. *d. l. 23. §. 5. de Rei Vind.*

77. Si autem partes magnitudine, aut præstantiâ æquales ferrumine hæreant, ut neutra alteri accessioni sit, sit res communis *l. 27. §. ult. h. t. & eo respectu Ferruminatio ad confusionem pertinet.*

78. *TERTIUS* acquirendi dominij modus est *SPECIFICATIO*, quæ est, quando ex materia sive eadem sive diversa, atq; illa vel mea vel aliena, vel alienâ tantum nova quædam species, vel corpus constituitur.

79. Si nova species ex aliena materia sola sive eadem sive diversa facta fuisset, quis eam acquireret, an qui fecerat, an dominus materiæ, maxima fuit olim dissensio inter duas Jctorum sectas s. scholas diversas, Proculianos & Sabinianos *l. 7. §. 7. ff. h. t.*

80. Justinianus Imp. autem rem ita decidit, ut mediam amplexus sit sententiam, existimantium, si species facta reduci possit ad materiam primitivam, is speciei factæ dicatur esse dominus, qui dominus erat materiæ; sin autem reduci & reverti non possit ad priorem materiam, ut tum dominus sit is, qui materiæ formam induxit *l. 26. pr. h. t. ff. l. 18. §. 3. d. pign. act.* licet de frumento Gajo contrarium & verius videatur *l. 7. §. vers. videntur h. t.* De his omnibus vid *§. 25. Inst. h. t. d. l. 7. l. 12. §. 1. l. 24. 26. ff. h. t. l. 61. ff. d. Rei vind. fac. l. 78. §. 4. de leg. 3.*

81. *Hæc omnia autem tum demum procedunt, si quis suo nomine l. 7. §. 7. h. t. & bonæ fide l. 12. §. 3. ad ex h. t. faciat, si enim alterius sc. domini nomine, aut mala fide*

19  
lâ fide seu sciens alienam rem esse sciat, fit species domini, nec facienti acquiritur  
l. 25. b. t. l. 12. §. 3. ad exhib.

82. Si quis ex partim sua, partim aliena materia speciem novam fecerit, dubitandum non est, eum esse dominum, qui fecerit, cum prater operam etiam partem materiae praestiterit l. 5. Parag. 1. ff. de rei vind. Parag. 25. Inst. b. t.

83. Sed si utriusque voluntate facta fuerit, fit communis Parag. 26. h. t. l. 3. Parag. ult. cum l. sequ. ff. de rei vind. Si fortuito casu, fit itidem communis, si nullo modo materia separari possint d. Parag. 26. d. l. 3. Si separari possint, non, l. 5. Parag. 1. Vers. sed si plumb. de rei vind. nisi velint communem esse.

84. Ne tamen res alicujus sine factio ejus ad alium transferatur, & his casibus jure civili praeiudicia sunt actiones. 1. Actio in factum contra specificantem bonâ fide, vel ex alicuiâ materia, vel ex partim aliena, ad consequentiam materiae estimationem l. 23. Parag. Item quicumque §. Ver. Ideo ff. d. R. V. 2. Actio ad Exhibendum contra specificantem malâ fide, ad exhibendam speciem, & recuperandam cum ea materiam, quae ejus mansit l. 9. Parag. 3. & l. 12. Parag. 3. ff. Ad exhib.

85. Specificationi subalternantur Confusio & Commixtio. Eae quidem promiscue usurpantur, ut videre est l. 5. pr. & Parag. 1. de rei vindic. Confundi tamen proprie videntur res, quae commixta mutant formam pristinam, quod fit in specificatione quadam, ut si mel & vinura commixta sunt, aurum & argentum. Vel retinent, sed tamen singula corpora ita miscentur, ut minima coeant cum minimis, nec internosci, aut separari possint, ut: si meum & tuum argentum, meum & tuum vinum confusum fuerit l. 3. Parag. 1. de R. V.

86. De priori confusionis specie, ubi ex duplici materia species nova facta est, in t. b. 82. & 83. egimus. In posteriori ubi nulla species nova est facta, sed tantum materiaram unio & conjunctio, hoc juris est, ut si quis suam & alienam materiam altero ignorante, sed bonâ fide confuderit, is confusi dominus fiat. Sin verò utriusque voluntate duorum materiae confusa sint, totum id corpus quod ex confusione fit, utriusque commune est.

87. Commisceri videntur res ea, quae inter se mixta manent quidem eadem, ut singula etiam corpora in sua substantia perdurent, nec minima cum minimis coeant, sed tamen conjuncta novum quasi corpus constituunt, & quandoque internosci ac separari possint, licet difficillimè; ut, si frumentum unius cum alterius miscetur parag. 29. b. t. l. 5. de R. V. vel pecoral. 23. ff. eod.

88. Cum itaque commiscetur frumentum plurimum, si quidem hoc eorum voluntate fiat, est commune; quod si casu iam mixtum fuerit, vel unus reliquis inconsultis miscuerit, non est commune, sed manent singula corpora pristinorum dominorum d. par. 28. d. l. 5. idem est in pecoribus l. 23. parag. 5. Vers. at in huius ff. de rei vindic.

89. Ut autem & hoc in casu rem suam unusquisque, si velit, recuperet, pro duplici diversitate est duplex actio 1. Communi dividundo, si quod est mixtum, fuerit commune, & alter forte in communionem manere nolit l. 5. pr. de R. V. 2. Actio in rem seu Rei vindicatio, si alteruter forte totum illud retineat. Frumentum autem cum commode separari non possit, & alterius altero fuerit melius, praestabitur ejus aestimatio ex iudicis arbitrio, in quantum paret (ut loquitur Ulp. saepe, l. 5.) in illo acervo suum cuiusque esse & quale, d. par. 28. in fin. arg. par. 5. l. de off. Jud.

90. *QVARTVS* acquirendi dominij modus est *Apprehensio rei tradita*. Solet *Vocari* uno verbo, *Traditio*, quæ tamen potius modus est transferendi, quam acquirendi dominij, l. 20. C. de pact.

91. *Traditio* alia est *Vera* seu *Propria*, qua fit in remobili de manu in manum datione; in re soli per inductionem in possessionem. Alia est *FICTA* seu *Impropria*.

92. *Traditio* *VERA* fit in omni re *Corporali*, cujus est commercium, sive sit mobilis, sive soli. Variatū olim fuit in prædiis *Tributariis* seu *stipendiariis*, & *is* alicui; sed *Justin.* Imp. omnem sustulit differentiam, parag. 40. b. t. l. un. C. de usuc. transf.

93. Tradere potest rem non tantum *Dominus*, sed & *Voluntate* ejus alius, videlicet *Procurator*, cui libera omnium negotiorum administratio est permessa parag. 42 b. t. l. 9. parag. 4. ff. eod. fac l. 58. ff. de Procur. modo donandi animo non faciat. arg. l. 28. parag. 2. ff. de pact. Sic tradit creditor, cui per pactum licet pignus alienare: e parag. 1. Inst. *Quib. al. lic.* Tradit quoq; rectè, licet non dominus sit, tamen loco domini de jure tutor & curator l. 16. l. 22. C. de administr. tut.

94. Requiritur autem in traditione titulus iustus sive causa, quales sunt *Emptio*, *Venditio*, *Dos*, *Legatum*, *In solutum datio*

95. Error in traditione modo nocet, modo non. Nocet, si quis erret in re, quam tradere vult, & personâ, cui tradere vult. Ibi enim cessat ratio à *Justiniano* in *Parag.* 40 f. b. t. prolata. Nun nocet, si erretur in causa sive titulo, ut: si ego tibi rem trado donandi animo, tu quasi creditam accipias l. 36. ff. h. t.

96. Quamquam *Traditionis* ea est natura, ut si anim dominium transferat in accipientem, in venditione tamen secus est: licet enim res vendita & tradita sit, non antea tamen emptori acquiritur, quam is pretium solverit, vel alio modo satis fecerit, vel venditor fidem ejus securus sit, h. e. fidem ei deperit habuerit, quod antequam fiat, dominium dicitur esse independenti, *Parag.* 41. b. t. l. 53. de contrab. empt. l. 12. in fin. l. 25. *Parag.* 1. ff. de usufr.


97. *Ficta* seu *Impropria* traditio fit non illa, quam continet vera traditio, translatione, sed alio actu, qui interpretatione juris est loco traditionis. Et perficitur vel nuda voluntate vel symbolo aliquo. Nuda voluntate fit primò, si rem, quam tibi commodavi aut locavi, deinde tibi vendidero, aut ex alia causa, licet ex ea non tradam tuam effecero *Parag.* 43. l. b. t. l. 9. *Parag.* 5. b. t. l. 21. *Parag.* 1. b. t.

98. Deinde fit nuda voluntate traditio *Impropria* seu *Quasi* in *Rebus Incorporalibus*, in quibus h. e. *Quasi* traditio consistit in patientia, qua nimirum permittimus alterum re illa, seu jure uti, vel patimur aliquid fieri in rebus corporalibus, in quibus incorporales illæ sunt constitutæ, & hæc patientia succedit in locum facti, quod ita fieri in servitutibus sunt, sextus expressi in l. 3. ff. de usufr. *Parag.* ult. *Inst.* Eod. l. fin. ff. de servit. l. 6. *Parag.* 1. D. si servit. vindicet l. 1. *Parag.* ult. de ser. rust. præd.


99. Secundò fit *Traditio Impropria* *Symbolo*, seu nota aliqua: sic clavium traditio apud horreum ex habili ad transferendum dominium causa facta transfert proprietatem mercium in horreo repositarum *Parag.* 44. b. t. l. 9. *Parag.* 6. ff. h. t. l. 4. ff. de contrab. empt. l. 1. *Parag.* 21. de acq. poss. sic quoq; res tradita censetur instrumenti traditione l. 1. C. de donat. signatione l. 14. in fin. de per. & com. rei ven. item appositione custodis l. 51. de acq. pos.

100. Ad *Quasi* Traditionem pertinent *misibilia* §. 45. *Inst.* b. t. l. 6. §. pen. ff. Eod. *Tantum.* DEO GLORIA.





the scale towards document



quando quis obscuro loco natus, fraudu-  
 tatione, nobili alicui familiæ se infere-  
 sub titulo cognationis ab aliis, vel ejus-  
 familiæ, nobilibus pecuniam, vel aliud  
 dicet, vel alio modo eosdem fallat.  
 1615. vagabundus quidam homo cõ-  
 uelem Phocam, Palatinum Constanti-  
 cupans, & ex familia illustri Græcorum  
 jactans, adjumẽto intercessionũ, quas  
 tẽ impetraverat, in plurimorum prin-  
 s, & civitatibus ingentem pecuniæ  
 & emendicavit; cui postea, ob delicti  
 pœnam dictaverunt Scabini Lipsien-  
 no 1629. Mens. Martio fœminæ cui-  
 , ex nobili familia se natam & bonis  
 mutato nomine à Nobilibus pecuni-  
 , pœnam temporalis relegationis in-  
 runt. *Carpzov. prax. criminal. part. 2.*  
 am sequenti *num. 41.* adducit exem-  
 assumpto nomine Advocati cujus-  
 ejus publicè jactaverat, quem postea  
 iudicæ Senatus virgis coedi, & exilio  
 tinent & huc exempla relata à *Valers*

XVI.

us est, quando quis, personã sua pla-  
 en suum mutat, & se pro alio suppo-  
 ma apud Historicos aliosq; scripto-  
 inter quæ notissimum est illud Plau-  
 ptã forma Amphitruonis, adversus  
 nocte quadam, velut è bello rever-  
 ncubuit. Plura vide apud *Johannem*

B 3

Cor. 4